



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Arnoldo monacho, cui in choro dormitanti, diabolus carnes obtulit, cap.
82

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Abstine-
tia indis-
cretas
diabolus
decipit
aliqua-
do.*

SICVT referre solent nostri seniores, in Hemmen-
rode, sub specie Angeli, dæmō cuidam monacho
minus circumspetto, per aliquot dies in mensa
formam dimidij panis ostendit, & ne plus simul sume-
ret persuasit. Obediuit ille dæmoni, & post breue tem-
pus, tautam debilitatem corporis incurrit, vt in sensu
deficeret & periret. APOLLONIVS: Dixisti superius gu-
lam prostrauisse filios Israël in déserto. Quod ergo
incitamentum gulae videtur tibi maximè fuisse cauſa
Pſal. 77. illius plagæ? CÆSARIUS: Desiderium carneum. Cum
Sap. 16. enim Dominus dedisset eis manna, panē Angelorum,
omne habens in ſe delectamentum, ingratianti tanto be-
Num. II. neficio, murmurabant contra Moysem, dicētes: Quis
dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur pi-
ſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in men-
Num. 21 tem nobis veniūt cucumeres & pepones porriqué, &
cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respi-
ciunt oculi nostri niſi Man. Et in alio loco: Anima no-
stra nauusat super cibo iſto leuissimo. Vides quanta
Num. II ingratitudo, & cum quanto iurgio? Culpam mox pa-
na subsequens denudat. Adhuc, inquit, erant carnes
in dentibus eorum, nec defecerat huiuscmodi cibus;
& ecce furor Domini concitatus in populum, percus-
ſit eum plaga magna nimis. Saepē diabolus religiosos
per carnes tentat, nunc dormitantes, nunc vigilantes,
nunc visibiliter, nunc inuisibiliter; quosdam vincit, à
quibusdam vincitur. APOLLONIVS: De his audire dele-
ctat exempla. CÆSARIUS: Exempla satis vera & mani-
festa tibi dicam.

CAPUT LXXXII.

*Carniū
desiderio
tentatiā
Diabolo
in sem-
nis.*

NON est diu quod monachus quidam apud nos
defunctus est, Arnoldus nomine, Colonia in
Ecclesia sanctorum Apostolorum canonicus:
fuerat autem ante conuerſionem vir diues & delic-
tus valde. Iste mihi referre solebat, quod per gulam
multum tentaretur à diabolo, etiam cùm leuiter dor-
mitaret in choro; quandoque, cùm propter lassitudi-
nē in choro stās, oculos clauderet, ſcutellam carnibus
pleram

plenam ante os suum sensit, de qua etiam more canino, ut sibi videbatur, comedit; cumque sic bestialiter comedere erubesceret, caput quandoque retraxit, & satis durè parieti illisit.

CAPYT LXXXIII.

COnuersus quidam, sicut ab eius ore audiui, cùm die quadam auditor esset cuiusdam priuatæ missæ, in canone modicum quid dormitans, ex illusione diaboli, ipsum super quod prostratus iacebat lignum, dentibus rodere cœpit, ac si aliquid masticaret, & erat stridor dētium eius, ut sonus muris, testam nucis dentibus suis perforantis. Frater Richwinus Cellerarius noster, qui ad missam eandem ministrabat, hæc audiens, in orationibus suis impediabatur: & cùm posset Conuerso loqui, interrogabat eum, quid in missa inter dentes haberet, dicens: non potui propter vos orare; respondit ille: Credite mihi, ego comedidi bonas carnes. Vnde habuistis illas, inquit? respōdit Conuersus: Diabolus infra illum canonem præparaverat ori meo scutellam carnium bene refertam: si non creditis, notate lignum, in quo iacui, vestigia dētium meorum bene ibi repetietis; & narravit ei, qualiter à diabolo dormitans fuisset illusus; lignum verò ex dentibus eius fuerat corrosum. Sit inimicus viros religiosos, quos decipere per gulam non potest vigilando, ad minus illis illudere conatur dormitando. Audi nunc de quadam virgine, quam per carnes non dormitantem, sed vigilantem visibiliter tentauit; nec tamen præualuit.

CAPYT LXXXIV.

Virgo quadam de Niuella nata, domum patris & parentes amore Christi deserens, quibusdam feminis religiosis illius provinciæ se sociauit, cum quibus de opere manuum suarum vicitans, orationibus, iejunisque vacauit. Cuius virtutibus diabolus inuidens, anserem de domo patris eius tulit, & in triclinio, in quo cum ceteris feminis sedebat, depositus, dicens: Quid te misera fame crucias? accipe & manduca. Cui cùm illa diceret: Non licet mihi ex eo

*Etiam in
vigilia.*

come-